









I. N. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,

DE

PERFECTIS STATUS  
INTEGRITATIS O-  
PERIBUS,

*ex Gen. II. 15. ad finem,*

Sub PATROCINIO

VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi atq; Excellentissimi,*

DN. D. JOH. DEUTSCHMANNI,

Prof. Publ. Primarii, nec non Templi ad  
Arcem Præpositi longè celeberrimi, Facult. Theol.

Senioris gravissimi, & Alumnorum Electoralium  
Ephori devenerandi, &c.

*Dn. Patroni, Præceptoris, ac Studiorum suorum Promotoris,  
ad cineres religiosè colendi,*

*Ad diem XXVIII. August. Anni M. DC. XCIII.*

In Cathedra B. Lutheri

*horis antepomeridianis,*

Publico Eruditorum Examini exponet

JOHANNES CAROLUS Porsche/

Zitta-Lusatius.

25

WITTENBERGÆ, Prælò CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



ILLUSTRIS ZITTAVIENSIVM  
REIPUBLICÆ  
PATRIÆ PATRIBUS CONSCRIPTIS,  
VIRIS

*Magnificis, Excellentissimis, Nobilissimis,  
Amplissimis, Consultissimis & Pru-  
dentissimis,*

DNN. DNN.

CONSULIBUS,

SYNDICO,

PRÆTORIBUS,

SCABINIS,

Coeterisque SENATORIBUS,

DE PATRIA optimè meritis, vi-  
gilantissimis, &c.

Domini PATRONIS, ac Studiorum suorum PROMO-  
TORIBUS ad cineres usque æternâ observantiâ

Colendis,

Specimen hoc

dedicat

Respondens.



(o)

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,  
DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS  
OPERIBUS,  
EX GENES. II. à v. 15. ad Finem.

I.  
**O**peris veri, bonique, magna dicitur dignitas, major jucunditas, maxima pariter utilitas. Quicquid enim utilitatis in universo mundo reperitur, illud non aliunde, quàm ex ipsis operibus suam trahit originem. Cum igitur Energias Perfectas Hominis primi præcedenti Disputatione consideraverimus, recta nunc ad Operum Perfectorum meditationem ordine conveniente progredimur.

2. Et certè quod perfecta fuerint in homine, quoad Statum Primæ Creationis, Opem, neutiquam potest negari, cum vel omnium, vel plerorumque consensu certissimum id sit. Nos ex præfenti textu, quem propter prolixitatem adscribere non potuimus, Biblicam, de Perfectis Operibus Hominis primi, Contemplationem instituemus, cum aliunde neutiquam possimus vel melius, vel certius, de illis convenienter judicare.

3. Notabimus autem de Perfectis his Operibus, (I) Certam Eorum Existentiam, quod fuerint opera Status Integritatis perfecta. (II) Plenam Eorum Essentiam, quæ totaliter, quoad omnes causas, rectissime declaratur, cum in textu nostro secundum ordinem, partim Causam Efficientem; partim Causam Materialem; partim Causam Formalem; partim Causam Finale non obscure deprehendamus; partialiter verò secundum varias differentias consideratur. (III) Planam Eorum Eminentiam, quæ cernitur, vel etiam deducitur ex variis proprietatibus, vel attributis.

4. Existentiam Perfectorum Operum hominis primi quod atinet, ea vel absolute consideratur, quod revera tales Operationes in homine primo, juxta divinam Creationem, extiterint, idque probatur, (1) ex perfectionis ortu, quia perfectissimo divinæ creationis ortu gaudet homo, propter quem non potuit perfectas operationes non habere, vel edere. (2) ex perfectionis Statu, quia totus Status

A

Integria



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS,

*Integritatis*, appellatur *Status perfectionis*: talis autem appellari non potuisset, nisi *perfectas operationes* habuisset, dum ex operationibus vel maxime de *statu* judicari, tum solet, tum potest, (3) *ex perfectionis subjecto*, quia *subjectum*, homo primus, in omnibus *perfectus* extitit, tum quoad *perfectam naturam*, tum quoad *perfectas facultates*, tum quoad *perfectas Energias*, sicut hactenus vidimus: Ergo pariter *perfectus* fuit in *operibus*. (4) *ex perfectionis fundamento*, quod est *Imago Dei*, quæ non potest *perfectas operationes* non edere. (5) *ex perfectionis effatu*, quia *Deus* vidit *cuncta*, quæ fecerat, & ecce valde bona fuerunt, Gen. 1. 31. nim. valde fuerunt bona, quoad ipsas *essentias*, quoad *essentiales proprietates*, & quoad *essentiales operationes*: valde vero bona quæ sunt *operationes*, illæ quoque suam veram, & convenientem in *operibus* habent *perfectionem*.

5. Vel *relate*, quod etiam in *textu presenti*, de *perfectis Operibus Hominis primi* doctrina proponatur, illud confirmatur, (1) *ex divina πρᾶξι*, quia *Deus* ipso facto tulit hominem, & posuit in paradysum, ut ibi non alia, quam *perfecta* faceret opera: talibus *perfectis operibus* nisi *Deus* hominem instruxisset, nunquam ipsum prudenter *perfectis* suis plantationibus, & operibus præfecisset. (2) *ex Divina σχέσι*, quia datur hic pulcherrima *σχέσις*, vel *relatio*, videlicet inter *Deum* & *Hominem*, tanquam *Paradysi fundatorem*, & *conservatorem*, *plantatorem*, & *curatorem*, *conditorem* & *Custodem*, *Autorem* & *Auctorem*, &c. prior *Deus* est, v. g. posterior debet esse primus *Homo*; jam quæ *Deus* perfecte plantaverat, illa, tanquam colonus, homo perfecte curare, vel conservare debebat. (4) *ex divina τάξει*, quia *Deus* autoritate sua colonum hunc ordinabat, ut *Paradysum*, hortum voluptatis perfectissimum, & coleret, & custodiret: *ordinatio* hæc *Dei* certissimam de *presentis cultoris idoneitate*, & *sufficienti perfectione* testificationem affert. (5) *ex Dei διδάξει*, quæ *legalis*, & *normalis* est, in perfectissima *Dei lege*, quæ *lex perfectissima* requirit etiam *perfectissimam observationem*, *perfectissimam operationem*. (6) *ex divina ἀποδείξει*, quia *Deus* statim ipse *perfectas operationes* hominis demonstravit ipsomet opere, dum *probam* aliquam *perfectionis* ab eodem postulavit, ut *lustrationem omnium animalium* institueret, uniuscujusque *naturam* perfecte cognosce-

gnoſce-



gnosceret, & unicuique nomen & creationi, & constitutioni, & propriae conditioni, conveniens imponeret. Hoc specimen homo summa cum laude, summaque dexteritate deposuit, & in eo suas perfectas operationes evidentissimè prodidit. &c.

6. Ab *Existencia* perfectarum *Operationum* digredimur ad *Essentiae* contemplationem, quam duplici ratione dabimus expeditam, (1) ὀλικῶς, ratione *Causarum*, & sic quoad ipsam γοίαν. (2) μερικῶς, ratione *differentiarum*, quoad variam οἰκονομίαν.

7. *Causas* igitur quod concernit, occurrit (1) *Causa perfectarum Operum Efficiens*, quæ non est alia, si *primariam* respicimus, quam *Jehova Elobim*, cujus fit in nostro textu frequentissima mentio, (1) quia *Jehova Elobim* tulit Hominem, & in hortum voluptatis posuit. v. 15. (2) quia dixit *Jehova Elobim*, non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei, quod coram eo fit, adjutorium, v. 18. (3) quia *Jehova Elobim* cuncta animantia terræ, & cuncta volatilia cœli adduxit ad Adam. v. 19. (4) quia *Jehova Elobim* immisit soporem in Adam, ut ex ejus costa mirabiliter vitæ sociam, Evam, ædificaret. (5) quia facta pariter ipso *Jehova Elobim* ædificavit Evam, eamque mox ad Adamum deduxit, & hanc ipsi conjugem dedit. Hæc certe *repetitio Nominis augusti* frustra facta non est, sed multis *gravissimis* de *causis* tam sæpe *Nomen* hoc illustrissimum adductum, quarum multas allegare possemus, longe plures autem, propter nostram imbecillitatem, indagare, vel explicare non valemus; sed hac introductione modo supersedemus, cum alia nostrum, in hac illustri *Materia*, studium exigere videantur. Hoc unicum tamen adducere placet, quod *perfectissimus* hic *Titulus*, ejusque *repetitio frequens*, in hac de *perfectis operibus* Hominis primi materia, luculenter indicet, quod *perfectissimam causalitatem* circa perfecta primi hominis opera, *perfectissimam earum habitudinem*, *perfectissimam illarum usurpationem*, & alia, sufficienter demonstret.

8. Commendamus etiam hoc piis meditationibus, (licet nulli vel quicquam præscribere, vel minimum præjudicium ponere constituamus,) quod in collatione *repetitorum* horum *titulorum* augustorum, & *evidentem*, & *sufficientem*, & *convenientem*



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

*usurpationem, & ordinationem, hujus Tituli circa materiam hanc nobilissimam, inveniamus. Nam Jehova Elobim vel sumitur, (1) ὁπωδῶς, aut Essentialiter, (2) vel ὑποστατικῶς, & personaliter, & quidem conjunctim pro tota SS. Trinitate, quatenus omnes Tres Persona, Pater, Filius, & Spiritus S. connotantur. (3) vel ἰδιοπυτικῶς, ut partim hic titulus approprietur Patri Creatori, Filio benedicienti, vel facienti, & Spiritui Sancto Videnti, perficienti, terminanti. &c. Jam dispiciemus, annon, hunc ordinem hic observatum esse, demonstrare possimus.*

9. *Nam Jehova Elobim reperitur, (1) v. 18. de Jehova Elobim, Paradisi plantatore, & principali Curatore, Hominis Promotore, & Installatore, ac ad Coloni, vel Hortulani manus Ordinatore. Hic respectus ὁπωδῶς, vel Essentialiter attenditur, tum quia plantatio paradisi, tum conservatio ejus, tum cura principalis illius, tum hominis assumptio, tum hominis assumpti translatio, tum hominis translati in paradysam collocatio, tum culturae & custodiae demandatio, vel quae plura Dei Creatoris opera circa titulum hunc observari possent, omnia sunt opera Deitatis externa, essentialia, causalia, &c. adeoque divinae tribuuntur Essentiae, & titulum Essentialem requirunt, ac inferunt.*

10. *Jehova Elobim reperitur, (2) v. 18. quod Idem dixerit: Non est bonum, hominem esse solum, Faciamus eidem Adjutorium. Haec verba citra dubium respiciunt Deliberationem solennem totius SS. Trinitatis. c. 1. 26. In Hebr. quidem non pluralis הוּשָׁבִים sed singularis הוּשָׁבִי legitur: loquens tamen idem est Deliberans, vel Consultans idem est, Consilium Creatoris idem est, Objectum deliberationis, quoad hominis Creationem, idem est, &c. adeoque mutatio numeri certum respectum mutat, non rei mutationem importat. Jam autem, quod tum Gen. I. 26. tum h. l. Tota SS. Trinitas deliberationem instituerit, & una persona reliquas allocuta sit, vel ad easdem referatur, tum ex textu manifestum, tum à piè eruditiss, Theologis ac Philologis, approbatum, tum in ipsis Veterum, puriorum Rabbinorum testimoniis fundatum, qui loquuntur hic de Domo Consilii divini, de Domo judicii divini, &c. & tres ad ejusmodi Domum communiter requirunt. Vid. Jehova Elobim Provisor. Disput. ad v. 15. pag. 50. seqq.*

II. (3) Je-



11. (3) *Jehova Elobim* adducitur v. 19. quod *Jehova Elobim* formatis de humo cunctis animantibus terræ, tunc eadem ad Adamum adduxerit, ut ea lustraret, & convenientem denominationem iis communicaret. Hic *Jehova Elobim* respicit Deum Patrem, (1) quia hic *Jehova Elobim*, tanquam *Creator* introducitur, dum formasse dicitur animantia cuncta terræ de humo, & simul omnia volatilia cæli. (2) quia nobis exhibetur *Jehova Elobim* *Conservator* & *Curator* dum insignem curam agit & animalium, & volatilium, vel etiam ipsius hominis, dum prospicit homini de subditis, animalibus, & volatilibus de Dominio, utrique de convenienti relatione, vel conjunctione, de familiari conversatione, de mutua quasi obligatione, &c. (3) quia, tanquam *Jehova Elobim* *Gubernator*, Homini primo, quoad animalia, jura *Majestatis*, statui primo convenientia, solenniter concessit, illa tum adducendo, tum submitiendo, tum homagium ab illis requirendo, potestatem ex jure superioritatis stabiliendo, quia propterea cuncta tum animalia terræ, tum volatilia cæli, simul adduxit, ut videret, quid homo vocaret ea: omne enim, quod vocaret Adam animæ viventis, hoc ipsum debebat esse nomen ejus. Sic creaturarum Imperator Homo per hunc *Jehovam Elobim* constitutus jam autem, qui jure superioritatis Imperatorem constituit, & aliis præficit, ut Ipse possideat Imperatoria jura necessum est, cum nemo communicare possit, quod ipsemet non habet. Deus Pater autem est Dominus & Gubernator creaturarum, cæli & terra. Gen. XIV. 19. XXIV. 7. &c.

12. (4) *Jehova Elobim* produritur v. 21. Immisit *Jehova Elobim* soporem in Adam, cumq; obtormivisset, tulit unam de costis ejus, & clausit carnem pro ea, quæ relatio, non inconvenienter ad Filium refertur, (1) quia *Filius*, juxta scripturam, est *Executor* *Decretorum* *Patris*: jam Pater sibi decretum de producenda *Vite* *sociali*, quæ coram Adamo foret, peculiariter accommodaverat, adeoque mox adest *Executor* hujus *Decreti*, nimirum Ipse *Filius* *Jehova Elobim*. (2) quia sicut Gen. 1. 3. seqq. semper Pater, ut *Elobim* *Dicens*, *Filius*, ut *Elobim* *Faciens*, & *Spiritus S.* ut *Elobim* *Videns*, quoad *Creationis* opus, manifestatur; ita Pater quoq; tanquam *Jehova Elobim* *Dixit*, v. 18. *Non est bonum, Hominem esse solum, Faciam eidem*



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

*adjutorium: Filius artifex statim adest Prov. IIX. 30. & opus fabricare, vel consummare suscipit. (3) quia multi sunt Patrum, & Theologorum, qui somnum hunc, quietem hanc, ad quiescentem Filium, ad quietem divinæ potestatis, & gloriæ, quoad tempus Eminantionis à posteriori referunt, & sic Adamum dormientem, quiescentem, sopore gravi jacentem, à posteriori, Christi typum, tum ratione quiescentis Deitatis, vel divinæ virtutis, tum ratione mortis ipsius, non inconvenienter constituunt, inprimis quia maximus fuit hujus soporis fructus, exoptatus eventus, nim. Eve viventis tum ex latere creatio, tum oblatio, tum copulatio, tum cohabitatio, &c. sicut ex morte Christi, per latus ejus apertum, Ecclesia vivens prodiit, Adamo secundo contigit, instar sponse mysticæ spiritualiter unita fuit, &c. (4) quia non alii clavibus aperiens & claudens tribuitur, quam Christo, DEI Filio, Matt. XVI. 19. XIX. 18. Apoc. I. 19. &c. & h. l. præfens Jehova Elobim, post Soporem immissum, aperit Adami latus, & rursus claudit, & sic ostendit, quod ipse sit Is, qui per clavibus aperit & claudit, aperit cor Patris, & rursus claudit, aperit cœlum & claudit, aperit Ecclesiam & claudit, aperit gratiam & claudit, aperit remissionem peccatorum, & claudit &c.*

33. (5) *Jehova Elobim denique v. 22. quinta vice promulgatur, qui certo modo peculiariter, Spiritui Sancto dicitur appropriari, (1) quia sequitur hic Jehova Elobim, Patrem & Filium, sicut ex præcedentibus constat: qui vero sequitur in Deitate Patrem & Filium, non alius est, quam Spiritus Sanctus, (2) quia Jehova Elobim, hic ultimus est, quoad Eve Creationem, quoad Operum hominis considerationem, quoad totius Capitis inspectionem, dum post eum nec in hoc Capite, nec in tota Status Integritatis, Historia, sicut ex contextu manifestum, alius Jehova Elobim allegatur: jam postremus Jehova Elobim in Deitate, vel Deitatis ἰσία, sicut & in Deitatis οἰκονομία, vel operum Divinorum διαλογία, non alius est, quam solus Spiritus Sanctus. (3) quia hic Jehova Elobim non dicitur creasse, quod communiter Patris esse dicitur, neque formasse, seu fabricasse, quod alias ad Filium Factorem, & Architectum refertur: sed edificasse, quod Spiritui Sancto, multis de causis appropriatur. (4) quia dicitur alias etiam in naturalibus a-*  

*dificatio*



*edificatio Spiritus*, cum etiam *hominis Spiritus* in utero materno sibi *domum*, vel *corpus* *edificet*, & artificiose construat, quod non incongruè hic ad *Spiritum Sanctum*, quoad *creationem Eva*, refertur. (5) quia *Spiritus Sanctus*, in *regno gratia*, hoc sibi *proprium* habet, ut *edificet* sibi *templa*, *corda nostra*, seu *fideles*, I. Cor. III, 16, VI, 19. *Domum*, vid. *Ecclesiam*, I. Tim. III, 15. *Civitatem*, Ps. XLVI, 5. & in eadem *plurimas sanctas habitationes Altissimi*, I. d. Conf. Ps. LXXXVII. 1, 2, 3. & passim alibi: suos etiam habet *Architectos subordinatos*, eosque *sapientes Apostolos*, & alios *fideles Ecclesie Ministros*, sicut *Paulus* scribit, I. Cor. III, 9, 10. *Edificatio DEI Vos estis*, secundum *gratiam DEI*, que data est *mibi*, ut *SAPIENS ARCHITECTUS* *fundamentum* posui, nimirum à *Spiritu Sancto* constitutus, Act. XX, 28. *alius autem superedificat*. Unusquisque autem videat, quomodo *superedificet*: varia quoque *materialia* *spiritualis* *edificationis* recenset, v. 12. nimirum *aurum*, *argentum*, *lapides preciosos*, *lignum*, *fœnum*, *stipulam*, & hinc, quoad *solidam auream*, & *argenteam edificationem*, *Dei Templum* considerat, v. 16. in quo *Spiritus Dei* *spiritualiter habitat*: sic etiam satis conformiter h. l. *Matrie Eva* *notabilis edificatio* refertur ad *Spiritum Sanctum*. (6) quia hæc *edificatio* dicitur *operis terminatio*, nimirum *productionis Eva*: nam circa *formationem Eva* potissimum *tres actus* recensentur, (a) *Immissionis soporis*, qui dicitur *actus primus*, & *initialis*, & suo modo refertur ad *Patrem*. (b) *Costa sublationis*, cum annexa *redintegratione*, vel *carnis repletionem*, quia tulit unam de *costis Adams* *dormientis*, & locum *carne* replevit, qui *medius actus* etiam *personæ mediæ* *sapis apte* convenit: (c) sic manet *tertius*, & *ultimus actus*, qui dicitur *edificationis*, & *terminationis*, dum post hanc *edificationem* statim *adstat Eva*, (sicut alias dicitur de *spiritualibus motibus*, & *actibus*, &c: *Spiritus sancti gratia nescit tarda molimina*,) *parata*, vel *consummata* dicitur, quæ possit *Adamo*, tanquam *sponsa dilecta*, vel *amabilis*, adduci, cum eodem *copulari*, & ad omnem vitam per *Matrimonium* *consociari*. Sic *tertius*, & *terminativus actus Spiritui Sancto*, tanquam *Spiritus vel amoris*, vel *conjunctionis*, vel *Unionis*, &c. videtur *accommodus*, & *proprius*, vel *appropriatus*. Sed *reliquæ Personæ* nullatenus *excludendæ* sunt. Vid. *Tract. de*



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

*de Jehova Elohim Provis. Disput. de Vita Societ. Consummat. eb. 5. seqq. p. 129. seqq. ubi pariter ad Mysterium Trinitatis aliis rationibus hoc creationis Evæ Mysterium accommodavimus.*

14. Ex his apparet, quod devotis scrutatoribus *Verbi Dei* cetera difficultatem appareat, quod nulla vel *nominis allegatio*, vel *reiteratio* frustranea sit, cum etiam hic circa *Perfectorum Hominis Operum expositionem*, *Deus* augustum suum Nomen, *Jehovam Elohim*, tam *accuratè*, quam *perfectè*, tam *ordinate* producere, simulq; tum ad *Essentiam*, v. 15. tum ad *Trinam subsistentiam*, *conjunctim*, v. 18. tum *distinctim* ad *Subsistentiam Patris*, v. 18. *Filii*, v. 21. *Spiritus Sancti*, v. 22. respicere voluerit. Tam *eminens*, tam *sapiens*, tam *prudens*, tam *benevolus*, tam *beneficus* est *principalis Operum perfectorum Hominis Autor*.

15. *Causa Media* videtur esse *Verbum Ipsum Dei*, cum in hoc nostro textu tantas de *perfectis Hominis Operibus delicias* observare, tantasque *divitias congregare*, vel *cumulare* liceat. Nam quo diutius textum nostrum intuemur, eo plures *observationes* etiam, quoad hanc nostram materiam, contuemur. Et certe *Verbum hoc Dei*, quoad *primum* etiam *Hominem*, ejusque pariter *Opera perfecta*, non fuit *ociosum*, sed maxime *negotiosum*, vel *operosum*, cum sit *Dei Verbum*, quod nunquam est *ociosum*, & *infructuosum*; sit *vivum Verbum*, cum primo *Homini*, sicut & aliis creaturis *viventibus*, fuerit *Vita Verbum*, nim. *vita productivum*, Gen. I. 20. seqq. & *vita conservativum*, quia *Deus omnia conservat*, & portat verbo virtutis suæ. Hebr. I. 3. &c.

16. *Causa secunda perfectorum Operum* in *Statu Integritatis* dicitur ipsemet *Homo*, qui consideratur, vel ut *principium quod*, sic *totus Homo* dicitur suorum *operum perfectorum perfecta causa*. Nam quemadmodam hodie post lapsum *Corruptorum operum*, dicitur *corrupta*, sed *vera causa*; sic etiam in primo *perfectiois statu* revera fuit *Homo perfectus*, *perfectorum Operum Causa*: Vel ut *principium quo*, quod vel *ὀλικῶς* spectatur, nim. *Imago Dei*, quia homo fuit ad *Imaginem Dei* conditus, Gen. I, 26. 27. *valde bonus*, v. 31. *rectus & perfectus*, Eccles. VII. 31. adeoq; beneficio hujus *imaginis concreatæ* quoque *perfecta* produxit *opera*: vel *μερικῶς*, sic  
ex præ-



ex præcedentibus facile constat, quod horum operum perfectorum, quoque cause fuerint, tum Mediatè perfectæ Facultates, vid. perfectus Intellectus, & voluntas; ut & perfectæ Virtutes: sed immediatè perfectæ pariter Energia: nam Energia perfectæ si non impediantur, necessario perfecta producunt opera, secundum regulas Philosophicas: Qualis causa, talis effectus: Qvale principium operans, tale principiatum, Opus; Qualis ἐνέργεια, tale pariter ἐνέργημα. &c.

17. II. Progredimur nunc ad Causam Materialem Operum perfectorum, quæ suis etiam in Differentiis notari potest. Licet enim Materiam ex qua proprie loquendo, quoad Opera Perfecta, non statuamus, ἀναλόγως tamen illa, declarationis ergo, vel allegari, vel explicari potest. In regno gratiæ, vel Ecclesia, sicut & in regno potentia, vel politia, communiter opera dicuntur imperfecta, quæ nullam habent cordis, oris & operis, harmoniam, sed in Ecclesia dicuntur hypocritica, sicut in civilibus Pseudopolitica, si dicat Os a ve, Cor cave; vel, quando μὴ πολλῆς φωνῆς, multa quidem ore pollicemur, aut etiam quædam externa præstamus, quæ tamen ex sinceritate cordis non proficiscuntur, & ad tempus saltem durare dicuntur: hinc tales homines ἀνδρες δίψυχοι Iacob. 18. vocantur. Contra verò charitas perfecta dicitur, 1. Iob. II. quando pulcherrima datur cordis, oris, & operis συμφωνία, quæ DEO grata, & hominibus accepta non tantum, sed etiam fructuosa. Primus Adam expers fuit ante lapsum omnis hypocriseos, quam demum post lapsum, cum fici foliis, adsumsit, adeoq; vera fuit in ipso cunctorum operum perfectio, quia cor saltem bona cogitabat, os tantum bona pronuntiabat, & opus externum bona saltem præstabat. In omnibus ejus viribus, & energiis, erat vera consensio, mera perfectio.

18. Materiam in qua pariter omnis perfectio respiciebat. Dicitur aliàs subjectum, quod ratione perfectorum operum fuit, vel externum, idque vel totale, nim. Mundus, dum Adam in mundo, perfectis operibus studere debebat. Hic mundus κόσμος erat, ornatus omni perfectione, nec alia, quam opera perfectæ, requirebat: vel partiale, quod paradysus, quæ paradysum, à Deo perfecte plantatum, in perfectione sua, perfectis operibus colere, & his excr-



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

nare debebat, ut esset, & maneret *perfectus imitator DEI*, *perfectus*que conservationis *status perfectum* hunc *ortum* continuaret, & conservaret. Hinc *paradisi* diserta v. 15. fit mentio. *Internum* autem *subjectum* est ipsemet *homo*, אָדָם, ut vocatur, quia, tanquam *subjectum* quod, dicitur *homo totus, rectus, & perfectus*, *Eccles.* VII. 30. tanquam *subjectum* quo dicuntur ejus *intellectus perfectus, perfecta voluntas, & libertas, perfectæ virtutes & energia,* quæ cum aliis omnibus primi hominis operibus *perfectionem venam, & meram* constanter afferebant.

19. *Materia circa quam perfectorum operum* maxime variat: ἀπέριστα tamen ipse *Paradisus*, cum omnibus suis bonis, hic tanquam *Materia circa quam*, allegatur, dum tota *cura, vel cultura* hominis ad ipsum *paradisum* refertur: Deus enim posuit *Hominem* in *Hortum Voluptatis*, ut eum coleret, & custodiret: ἐμμέσως autem multiplex datur *Objectum* perfectorum *Operum* primi hominis, cum *opera perfecta* primorum hominum versentur, (1) *Circa Deum*, Deiq; , tum *cultum*, tum *obsequium*, v. 17. (2) *Circa Angelos*, eorumq; *sodalitium*, vel *contubernium*: quia sicut post lapsum *Angeli* visi sunt ab hominibus in pœnam, c. III. 24. ita multo magis ante lapsum *angeli*, tanquam *Ministri Dei*, & hominibus in colendo *Dei* socii, sæpius apparuissent, & cum hominibus conversati fuissent, ac homines ad *opera perfecta* suis exemplis invitassent; & homines, circa nobilissimas creaturas ipsas, *opera sua perfecta* suscepissent. (3) *circa semetipsum*, quia, si *corruptus* homo circa semetipsum *opera plura* suscipere necessum habet, quemadmodum quotidiana docet experientia; sic etiam multo magis homo primus, *immagine divina condecoratus*, *opera quam plurima perfecta* circa semetipsum, & suscepisset, & expedivisset. (4) *circa proximum*, quia primus homo varia debuisset constituere *perfectionis opera* circa suum *proximum*, sicut *Adam* suam *sociam* expetit, inter animalia viventia sedulo quæsit, v. 20. cum voluptate vidit, excepit, vehementer dilexit, in matrimonium sibi conjunxit, v. 22. 23. sibi de ea, velej conjugio, seu *contubernio*, gratulando, laudibus eam omnibus extulit, inqviens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; semetipsum; & omnia sua, nomen ipsum, cum eadem habere,*

bere,



bere *communia* voluit, eaqve de causa *Viram*, vel *Viraginem* *ἄνθρωπον* eam appellavit, v. 23. imo de *futuris posteris*, ratione *vinculi Matrimonialis*, disposuit, v. 24. *Quamobrem relinquet Homo Patrem & Matrem, & adheret uxori sua, & erunt duo in carne una, &c.* (5) *Circa Bruta animalia*, quæ sibi divinitus *adducta* vidit, cognovit, naturam eorum perspexit, in dominium suum ex voluntate Dei suscepit, & ipsis propriis nominibus, & aliis modis prospiciendo, suam curam, Inspectionem, Directionem, & alia, non denegavit. (6) *Circa vegetabilia*, quæ singulari vel opera, vel cura, prosequi debuit in paradiso, cum ex omni ligno comedendi libertatem ab ipso Deo, præter scientiæ boni, & mali lignum, acceperit, adeoque suos etiam labores circa vegetabilia suscipere necessum habuerit, & in iis colendis opera sua perfecta vel adhibere, vel exercere debuerit. (7) *Circa paradisi bona inanimata*, qualia fuerunt pulcherrima paradisi *flumina*, & eorum *preciosa*, nim. *aurum, bedellium lapides preciosi*, &c. (8) *circa cælum & terram, & creaturas utriusq;*, quia non fuisset ociosus horum omnium spectator, sed iis omnibus, suis perfectis laboribus, in *Creatoris glorificationem*, & *sui delectationem* usus fuisset, (9) *Circa artificialia*, quale tum temporis bonum artificiale *paradisus* erat, quem artificio summo Deus ipse plantaverat, v. 8. & ad artificiosam culturam, atqve perpetuam custodiam, homini commendaverat, v. 15. quod certe sine perfectis operibus fieri non poterat. *Deus* erat *Autor paradisi*, sua perfecta plantatione, sed *homo*, juxta Dei voluntatem, *Auctor & Conservator, Cultor & Exornator*, esse debebat, sua perfecta operatione, quia propterea translatus erat in *paradisum*, ut eum operaretur v. 15. Hæc, & alia, perfecta citra dubium, eaque non pauca requirebant opera. (10) *Circa speciales Dei revelationes, apparitiones, confabulationes, conversationes*, quæ satisfrequentes fuerunt, cum aliquot earum, in brevissimo spacio commemoratis in statu perfectionis, recenseantur, quales sunt, (1) *post creationem*, dum citra dubium *Adam* revelationem *Creatoris*, post suam productionem, aliquam habuit. (2) *circa translationem* in paradisum, & culturæ paradisi commissionem. v. 15. (3) *circa Legis promulgationem*, v. 16. 17. (4) *circa manifestam de creanda socia consultationem*. v. 18.



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

(5) circa cunctorum animalium adductionem, v. 19. 20. (6) circa soporis immisionem, vel etiam ante soporis illius injectionem. v. 21. (7) circa Evæ formationem, quæ Jehovah Elohim revelatio non tam externa fuit, cum Adam alto sopore sepultus esset, sed potius interna, cum Adam viderit, & cognoverit, Os ex ossibus, carnem ex carne sua formari. (8) circa Evæ sponsalem adductionem, actualem desponsationem, & matrimonialem copulationem. (9) circa novorum Conjugum Benedictionem, quo referendus v. 28. capitis primi. (10) circa futuram, eamque perpetuam vinculi Matrimonialis institutionem, & ordinationem, & juris matrimonialis foundationem, & publicationem, c. 11. 24. In his, & aliis Dei vel revelationibus, vel apparitionibus, Adamus neutiqvam ociosus esse debuit, sed perfectis operibus suis, illas immeritas divinæ gratiæ delicias, & divitias, excepit, corde suo reposuit, & modis, quibus potuit, omnibus, circa tales operatus fuit.

20. Hæc sunt *Materialia Perfectorum Operum Adami*, vel *Mysteria*, vel *capita*, verum, si *formalem Eminentiam Operum Perfectorum* ipsius nostris *meditationibus* ingredi, planiusque, vel plenius eandem intueri possemus, longe plura, longe majora, longe meliora nobis occurrerent, quæ nobis *jucundissimas*, & *mentis*, & *voluntatis delicias* moverent, imo tam *mentem*, quam *voluntatem*, & omnes *vires* nostras, penitus extra se raperent. Nemini siquidem ignotum, quod *forma* plurimis modis suam *materiam*, & *dignitate*, & *bonitate*, & *virtute*, & *activitate*, vel aliis *respectibus*, longissime superet. Sed in tanta *mentis* obscuritate, *voluntatis* imbecillitate, *virtutis* infirmitate, scientiæ caligine, pluribusque *defectibus* aliis, nihil eorum promittere nobis possumus. Tentabimus tamen aliquid, dum totum præstare, vel indagare, non valeamus. Contemplabimur *Oraculum nostrum*, & inde, per *DEI Gratiam*, lucis aliquid præstolabimur, quia *lucerna* dicitur non tantum *pedibus*, sed etiam *cordibus*, & *mentibus*, nostris *Verbum DEI*, *lumenque semitis*, non tantum *semitis externis* corporis, sed etiam *internis anima*, vel etiam *Spiritus*. Ps. CXIX. 105.

21. *Forma* proinde *Perfectorum Operum* suo modo dicitur *Ipsum Opus Perfectum*, cum *opus* sibi metipsum *forma* dicatur alias, & sic



& sic etiam *perfectum opus* sibi metipſi *forma* dicenda. Notum etiam, quod proprie loquendo neutiquam *Accidentia formam* habeant, aut habere queant, cum *forma*, proprie dicta, potius sit *corporum substantialium, & materialium*, dum *forma* suam informat *materiam*. Opera verò *perfecta* non ad classem *substantiarum*, multò minus ad classem *materialem substantiarum* referenda veniunt, cum per se minime subsistant, sed in subjectis suis veram existentiam habeant. Sed ad hanc *formam* non respicimus, verum *paris formam analogicam* inquirimus, & ipsi *Materiae perfectorum Operum*, hactenus propositæ, convenientem quandam *formam* adungere contendimus.

22. Hanc autem *formam* notabimus, (1) *negative*, nim. in quo non consistat *forma perfectorum Operum*, qua ratione minime consistere dicitur, (a) *in mese universali operatione*, sicut *cælum, Sol, Luna, Planeta*, cum reliquis *stellis*, tanquam *universales causas*, communiter ad hæc inferiora concurrere, vel *universales, & indeterminatas* suas *operationes*, etiam in ipsis hominibus, habere dicuntur. (2) nec in *simplici naturali quadam operatione*, qua ratione certum, quod *naturalia Non viventia* suas veras *operationes* instituant, & ordine suo, naturæ suæ convenientes, actiones edant, ut patet ex omnibus corporibus physicis inferioribus, *vita carentibus*, cum nullum eorum sit frustraneum, aut *operationibus* suis destitutum. (3) neque simpliciter in *vitali operatione*, quæ dicitur omnibus plantis, & herbis, omnibus fruticibus & arboribus, & aliis vegetabilibus, competere. (4) nec in *nuda sensuali operatione*, quæ competit brutis, tum *volatilibus*, tum *natalitibus*, tum *reptilibus*, à quibus omnibus homo, juxta Creationis Historiam, multis modis discernitur, iisque plurimis prærogativis excellentior esse dicitur. (5) sed potius in *intellectuali, verèq; perfecta humanae operationis conditione*.

23. Præterea quoq; ratione hominis adhuc removenda sunt alia, cum neutiquam illa *perfecta conditio* primi hominis, quoad *operationes*, proprias hominibus, conspecta fuerit, (1) in *operandi*, quoad *purè naturalia, repugnantia*, quasi cum rebellionem virium extiterit: talis enim status purorum naturalium merum est figmentum, adjunctum citra subjectum, status sine statu, rebellio in consensione, imper-



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

fectio in perfectione, & quas alias secum habet contradictiones. (2) nec in *operandi* quoad *corruptam naturam ἀδυναμία*, dum post lapsum omnia corrupta sunt in homine, meræq; , loco verarum potentiarum, impotentiae, vel nudæ loco perfectionum imperfectiones. Hic versamur in statu creationis, non destructionis, perfectionis, non imperfectionis, integritatis, non deformitatis. (3) nec in *habituali solum multorum laborum, vel continuarum exercitationum Φιλοπονία*, qua ratione nunc post lapsum ab hominibus perfectio quædam habitualis acquiritur. Licet enim certas habituales perfectiones primis hominibus, successu temporis comparandas, denegare neq; velimus, neque possimus, tamen & pleræque perfectiones ex concreata conditione, ex naturæ proportionem, vel ex ipsis integris proprietatibus, & energiis, perfectæ fuissent, multo labore, vel operosa quædam exercitatione non opus habuissent. (4) nec in *cælestium perfectionum gloria*, quia tunc homo tantum ex creatione vitam animale, & in ea *terrestrem conditionem* habuisset, sed *perfectissimam gloriam* etiam tunc in cælis expectasset.

24. (2) *Affirmative*, quia juxta notabilissimum textum *forma perfectorum operum* non modo luculenter introducit, sed etiam ex *actibus, & operibus* ipsis non adeo difficulter vel colligitur, vel deducitur, quod hæc forma consistat, (1) *in perfecta, eaq; velocissima materialium objectorum γνώσις*, quod *Adam* perfecte statim Objecta quævis materialia suorum laborum perspexerit, & plenam eorum cognitionem habuerit: nam cum *Adam* in paradisi voluptatis introduceretur, & ad *plantarum, arborum, aliorumq; vegetabilium* curam, & custodiam, tanquam *Botanicus*, horto præficeretur, non opus habuit vel inquisitione, vel investigatione, quod cuiq; *vegetabili* nomen esset, quæ natura, vel conditio, quæ cura, vel tractatio, quæ *plantatio, educatio, irrigatio, propagatio*. &c. sed hæc omnia cum aliis necessariis perspecta statim habuit, cum è contra *tirones*, vel *Botanice*, vel aliarum *artium*, opus habeant, ut primum omnium *objectorum* suorum *nominum naturam*, & alia per *doctrinam, & experientiam*, discant, antequam circa cujusvis artis objecta versari queant. Quo *major, & plenior objectorum cognitio*, eo facilius, & felicior circa talia suscipitur *operatio*. Idem de *animalibus*. v. 19. & de *Ipsa Eva* dicendum, v. 33. primo statim intuitu cuncta sufficienter *Adam* objecta cognovit.



25. (2) *In perfecta, eaq; velocissima perfectorum operum θε-  
λησει*: non enim *Adamus* multa deliberatione rem in utramq; par-  
tem ponderabat, & quid sibi, suæq; vitæ, vel consentaneum esset, aut  
fructuosum, multis consultabat, vel etiam dubia, vel alia *Creatori Do-  
mino* suo tergiversationibus, vel dilationibus, objectabat, aut de fu-  
turis successibus, & eventibus, dubitabat, vel alia quædam *voluntatis*  
impedimenta multiplicabat: sed *Jehova Elohim* eum in *Paradi-  
sum* deducebat, & totius *Paradisi, plantarum, arborum, & aliorum,  
vegetabilium* omnium, culturam ipsi committebat: *Dei* Voluntas, *A-  
dami* voluntas. *Parata* voluntas hominis ad perfectos labores, quia  
*parata* Voluntas *Creatoris* ad committendum ei *perfectos labores*:  
Adducit *Jehova Elohim* cuncta tum *animalia terra, tū volatilia cali,*  
quæ nunquam viderat, nunquam consideraverat, vel saltem ea nomi-  
nari nunquam audiverat: hæc ad nutum *Creatoris* iultrare, nomenq;  
conveniens singulis adsignare debebat. *Paratus est Adam,* perfecta  
*Voluntas ejus,* ad *Domini* voluntatem cuncta reddit expedita. *Nego-  
tium* arduum hoc erat, & tamē sua *voluntate* perfecta promptus statim  
est *Adamus,* secus, quam hodie fit, dum, in levioribus etiam expediti-  
onibus, in varias partes, & difficultates etiam, *humana voluntas* distra-  
bitur. Hoc certe summæ *perfectionis* indicium.

26. (3) *In perfecta, eaq; velocissima μαθήσει.* *Magister* est *Adamus,*  
antequam factus *discipulus*: *artifex,* antequam *tiro.* Notum hodie,  
quod, in omnibus artibus addiscendis, *doctrina,* vel *disciplina* quædam  
opus sit, & ut *regulas artis* cujusq; prius homo discat, quam artē ipsam  
exerceat, vel ea, quæ sunt artis, adhibeat. Qui suā artē non didicit, *stul-  
tus & imperitus, superficialis, & αυτοδίδακτος,* ein *Selbst-Meister /  
ein Hümpfer / und Stümpfer* appellatur, sicut sapientissimus *Salomo* di-  
cit, *Prov. XXVI. 10. Magister* (h. e. verus, & probatus artifex) *facit u-  
numquodq; qvæ autem locat* (aliquid faciendum) *stulto, locat illud su-  
perficiario, B. Luth.* Ein guter Meister macht ein Ding recht; wer aber  
einen Hümpfer dinget / dem wirds verderbet / *ἡσο* *stultus, insipiens,  
imperitus, instabilis, mutabilis, qvæ sibi non constat, sed in horas muta-  
tur,* quia caret & *artis scientia,* simul & *artis experientia,* der nichts ge-  
lernet / noch erfahren hat. *Adamus* quidem, neq; *Botanicam,* neq; *Zoolo-  
giam,* nec alia didicera: nec quicquam eorum expertus erat, & tan en  
in omnibus his, & aliis, summam *perfectionem* apud se reperiebat.  
O *perfectissimam perfectionem!*



## DE PERFECTIS STATUS INTEGRITATIS OPERIBUS

27. (4) *In perfecta, eaq̄, velocissima, mediorum ἀκρίβειαι.* Nam *ars* unaquolibet, omnis etiam *labor* externus, sua certa *media*, vel *instrumenta* requirit: qui nullam horum *peritiam*, vel *experientiam* habet, ille nec iis uti fructuose poterit, quemadmodum maximo cum damno sæpius id *artifices* probatiores vident, quando *stultos*, vel *imperitos tirones*, vel *cooperarios*, adhibent. *Adam* labores ante se, juxta *Creatoris voluntatem*, videbat, *medium* nullum unquam adhibuerat, vel etiam adhiberi conspexerat, neque tamen de talibus sollicitus erat, sed propter suam *perfectiorem* facile, quid cuique rei conveniat, & qualibus mediis unumquodlibet opus recte fieri, vel conservari, vel exornari queat, & alia, facile prævidebat.

28. (5) *In perfecta, eaq̄, velocissima mediorum χρησται;* certum est, quod *hortulanis* solum multis sit opus, iisq; diversissimis mediis, & eorum pariter diversissimus detur usus: nec enim unus, & idem datur omnium *mediorum*, vel dari potest usus: Idem etiã de mediis in aliis vitæ necessariis dicendū, & concedendū. Sed *Adam* in his omnibus suam secum *perfectiorem*, quoad omnia, possidebat, & sic etiam ad *Perfectorum Operum* consummationem contendebat.

29. (6) *In perfecta, eaq̄, velocissima πρᾶξιαι.* Nam *perfectam Mentis sapientiam*, & *perfectam voluntatis εὐδοκίαν*, *perfecta* comitabatur *ἐνέργεια*: quam non tantum actu primo possidebat, sed ad primum *Creatoris nutum* in omnibus quoad actum secundum exsererebat, prout *Illustrissima specimina*, partim in *regno vegetabilium*, v. 15. partim in *regno sensibilium*, v. 18. partim in *regno intellectualium*, v. 22. seqq. luculenter id attestantur.

30. (7) *In perfecta, eaq̄, velocissima πᾶσι, & dum perfectam operationem secutum est perfectum opus*, neque quicquam ab omni sapiente, vel *Inspectore*, vel *Directore* Deo, fuit in eo desideratum.

31. Prolixius etiam hanc *Perfectiorem Operum*, quoad *Statum Ecclesiasticum*, *Politicum* & *Oeconomicum*, juxta textum, considerare possemus, sed angustia chartarum id non concedit. Conf. *Jehova Elobim*, *Provis.* p. ubi distinctis *Disputationibus* hæc uberius evoluta sunt.

32. *Causam Finalem* quod attinet, *Perfectorum Operum*, illa dicitur alia respectu Dei, nim. *Dei Gloria* quæ satis evidenter ex omnibus textus circumstantiis elucet. *Gloria Discipuli*, *Gloria Magistri* *Gloria creature*, *Gloria Creatoris*: alia respectu mundi, nim. *Prudens & perfectum ejus Dominium*: alia respectu subjecti, quæ dicitur *Vita Hominis*, quoad omnia, *perfecta*.

33. *Eminentia Perfectorum Operum* per se quoque patet: unum tamen, vel alterum *Attributum* ex textu citabimus, quæ sunt, (1) *Divinitas*, dum ex *immagine divina* *Perfectorum Operum* conditio proveniabat. (2) *Veritas*, quia nihil falsitatis, nihil facati, locum unquam in his operibus habuissent. (3) *Bonitas*, quia hæc opera fuissent optima. (4) *Varietas*, quia magna varietas operum *perfectorum* ex ipsis textus verbis immediate fluit, longe major varietas ex iis mediate deduci potest. (5) *Universalitas*, & ratione *creaturarum* omnium, & ratione *ordinum* omnium. (6) *Necessitas*. (7) *Fecunditas*, (8) *Utilitas*, (9) *Perpetuitas*, (10) *Facilitas*. &c.



M. 2. 5.



